

quor homini familiarissimo C. Aviano Flacco; cuius causa omnia tūm cupio, tūm mehercule etiam debeo. De quo et præsens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanissimè respondisti; et scripsi ad te accuratè antea. Sed putat interesse sua, me ad te quām sēpissimè scribere. Quare velim mihi ignoscas, si, illius voluntati optemperans, minus videbor meminisse constantiae tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, et de tempore, Aviano commodes: quorum utrumque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompejus isti negotio prefuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Avianus quando se à me amari putat, me à te amari sciatis. Erit id mihi pergratum. Vale. *Lib. 13, ep. 75.*

NOTAS.

Obsequor: doy gusto.

CARTA XX.**ARGUMENTO.**

Recomienda á los hijos de C. Aviano.

M. T. C. Allieno Proconsuli S. D.

Et te scire arbitror, quanti fecerim C. Avianum Flaceum: et ego ex ipso audiaram, optimo, et gratissimo homine, quām à te liberaliter esset tractatus. Ejus filios dignissimos illo patre, meosque necessarios, quos ego unicè diligio, commendo tibi sic, ut majore stu-

Libro primero.

21

dio nullos commendare possim. C. Avianus in Sicilia est: Marcus est nobiscum. Ut illius dignitatem præsentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista provincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. *Lib. 13, ep. 79.*

NOTAS.

Dignissimos: *dignos hijos de tal padre.*

LIBRO II.

De las cartas narratorias y nunciatorias.

CARTA PRIMERA.**ARGUMENTO.**

Dicale á Apio que le será buen amigo, y expone los motivos que tiene, para amarle y estimarle.

M. T. C. Proconsul Appio pulchro Imperatori S. D.

Pridie nonas junias, cum essem Brundusii, litteras tuas accepi: quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quae illum mécum loqui velles. Eum sànd expectabam, ut ea, quae à te afferret, quamprimum cognoscerem. Meum studium erga te, et officium, tametsi multis jam rebus spero tibi esse cognitum; tamen in iis ma-

ximè declarabo, quibus plurimum significare potuero, tuam mihi existimationem, et dignitatem charissimam esse. Mihi et Q. Fabius Virgilianus, et C. Flaccus Lucii filius, et diligenterissimè M. Octavius Cneii filius demonstravit me à te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis jam ante judicaram, maximèque illo libro augurali, quem ad me amantissimè scriptum, suavissimum misisti. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. Nam cùm te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie pluris feci: tūm accesserunt etiam coniunctiones necessariorum tuorum. Duos enim, duarum ætatum plurimè facio, Ca. Pompejum, filiæ tue sacerorum, et M. Brutum, generum tuum. Collegii quoque conjunctio, præsertim tam honorificè à te approbata, non mediocre vinculum mihi quidem attulisse videtur ad voluntates nostras copulandas. Sed et, si Clodium convenero, ex illius sermone ad te scribam plura: et ipse operam dabo, ut te quamprimum videam. Quod scribis, tibi manendi causam eam fuisse, ut me convenires, id mihi, ne mentiar, gratum est. Vale. Lib. 3, ep. 4.

NOTAS.

Augurali: *Apio dedicó á Ciceron un libro sobre los agüeros.*

Duarum: *Pompeyo era viejo, y Bruto mozo.*

Collegii: *Ciceron y Apio eran ambos del colegio de los Augures.*

CARTA II.

ARGUMENTO.

Habla de cierta proposicion suya de que se habia burlado Trebacio.

M. T. C. Trebatio S. D.

Illuseras heri, inter scyphos, quod dixeram, controversiam esse, possetne haeres, quod furturn antea factum esset, rectè furti agere. Itaque, etsi domum benè potus, serisque redieram: tamen id caput, ubi haec controversia est notavi, et descriptum tibi misi: ut scires, id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Alium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Sczbole, et Testae assentior. Vale. Lib. 7, ep. 22.

NOTAS.

Inter: mientras los brindis.

Scyphus: es el vaso.

Esse: que era disputable.

Antea: antes de heredar.

Caput: capítulo, ó pasaje.

Descriptum: epiado.

CARTA III.

ARGUMENTO.

Dice que le faltan palabras para significar el deseo de salir de su gobierno, y que se hacen las diligencias por coger las onzas para los juegos, que como Edil habia de dar Célio al pueblo.

M. T. C. Imperator Cælio, Ædili Curuli S. D.
 Putaresne umquam accidere posse ut mihi verba decessent; neque, solum ista vestra oratoria, sed haec etiam levia nostratia? Desunt autem propter hanc causam, quod mirificè sum sollicitus, quidam de provinciis decernatur. Mirum me desiderium tenet urbis, incredibile meorum, atque in primis, tui: satietas autem provinciæ: vel quia videmur eam famam consequuti, ut non tam accessio querenda, quam fortuna metuenda sit: vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris, qui majora in republica onera sustinere et possimus, et soleamus: vel quia belli magni timor impendet: quod videmur effugere si ad constitutam diem decademus. De Pantheris per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est: et eas, quæ sunt, valde ajunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia, nisi sibi fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decede-

Libro segundo.

25

re, sed tamen sedulò fit, et in primis à Patisco. Quidquid erit, tibi erit: sed, quid planè esset, nesciehamus. Mihi, mehercule, magna curæ est ædilitas tua. Ipsa dies me admonebat: scripsi enim haec ipsis Megalensibus. Tu velim ad me de omni reipublicæ statu quam diligenter perscribas: ea enim certissimè putabo que ex te cognovero. Vale. Lib. 2, ep. 11.

NOTAS.

Levia: comunes, vulgares

Dignum: correspondiente á nuestras fuerzas.

Megalensibus ludis: el mismo dia de los juegos Megalenses, que daban al pueblo los Ediles en honor de la madre de los dioses.

CARTA IV.

ARGUMENTO.

Dicelle que le escriba las novedades, que haya: que no quiere gobiernos sino estar en Roma: que él está arrepentido de haber hecho lo contrario.

M. T. C. Imperator Cælio, Ædili Curuli S. D.

Sollicitus equidem eram de rebus urbanis: ita tumultuose conciones, ita molestæ. Quinquatus afferebantur: nam ceteriora nondum audiebamus. Sed tamen nihil me magis sollicitabat, quam in his molestii non me, si quæridenda essent, ridere tecum. Sunt enim mul-

ta, sed ea non audeo scribere. Illud molestè fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum litterarum. Quare etsi, cum tu haec leges, ego jam annum munus confecero; tamen obviae mihi velim sint litteræ tue, quæ me erudiant de omni republica, ne hospes planè veniam. Hoc melius, quam tu, facere nemo potest. Diogenes tuus, homo modestus, à me cum Philone Pessinunte discessit. Iter habebant ad Dejotarum regem, quamquam omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. Urbem, mi Rufe, cole, et in ista luce vive. Omnis peregrinatio (quod ego ab adolescentia judicavi) obscura, et sordida est iis, quorum industria Romæ potest illustris esse. Quod cum probè scirem, utinam in sententia permanisssem! cum una, meherculè, ambulatiuncula atque uno sermone nostro, omnes fructus provincie non confero. Spero me integratatis laudem consequutum: non erat minor ex contemnenda, quam ex conservata provincia. Spes triumphi? inquis. Satis gloriose triumpharem, si non essem tamdiu quidem in desiderio rerum mihi charissimarum. Sed, ut spero, propediem te videbo. Tu mihi obviam mitte epistolas te dignas. Vale. *Lib. 2, ep. 12.*

NOTAS.

Ita tumultuosæ: porque nos han contado que han sido muy alborotadas las juntas, y que ha habido muchos trabajos en las fiestas de Mínerva, que duraban cinco días, y se llamaban *Quinquatrus*, um, f. plur.

Citeriora: noticias mas recientes.

Hospes: en ayunas de noticias.

Cole: ama.

In ista: ahi, donde se luce.

Spes: sup. non satis est, ut in provinciam eatur?

CARTA V.**ARGUMENTO.**

Dicele á Peto, que le va á ver; y que supo que estaba en cama.

M. T. C. Papirio Pæto S. D.

Heri veni in Cumanum: cras ad te fortasse. Sed, cum certum sciam, faciam te paulò ante certiorem. Etsi M. Ceparius, cum mihi in silva Gallinaria obviam venisset, quæsissemque, quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex pedibus laborares. Tuli scilicet molestè, ut debui; sed tamen constitui ad te venire, ut et viderem te, et viserem, et coenarem etiam. Non enim arbitrör, coquum etiam te arthriticum habere. Expecta igitur hospitem cum minimè edacem, tūm inimicum coenis sumptuosis. Vale. *Lib. 9, ep. 23.*

NOTAS.

Cras: sup. veniam.

Ex: degota.

Arthriticum: gotoso.

C A R T A VI.
A R G U M E N T O.

Le dice, que le fueron de mucho gusto las gracias, que le había dado, y muy grata su carta al Senado: exhortándole á llevar al cabo la guerra, acabando con M. Antonio.

M. T. C. Planco Imperatori S. D.

Quamquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cum te re ipsa, atque animo sci-rem esse gratissimum; tamen (fateandum est enim) fuit ea mihi perjucunda. Sic enim vidi, quasi ea, quæ ocalis ceraunatur, me à te amari. Dices, quid antea? Semper equidem, sed numquam illustrius. Litteræ tuæ mirabiliter gratae sunt Senatui, cum rebus ipsis, quæ erant gravissimæ, et maximæ, fortissimi animi, summi consili, tūm etiam gravitatem sententiarum, atque verborum. Sed, mi Planco, incumbe, ut belli extrema perficias; in hoc erit summa et gratia, et gloria. Cupio omnia reipublice causa; sed meherculè, in ea conservanda jam defatigatus, non multò plus faveo patriæ, quam tuæ gloriae: cuius maximam facultatem tibi Dii immortales, ut spero, dedere; quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterinum, periculosisimumque confecerit. Vale. Lib. 10, ep. 19.

N O T A S .

Antea: sup. faciebam?

Quidem: sup. me amabas.

C A R T A VII.

A R G U M E N T O.

Diceles á su mugér é hija, que deliberen sobre si aguardarán en Roma la llegada de César victorioso, ó se saldrán antes: y que sobre esto consulten á ciertos amigos.

Tullius Terentiae, et pater Tulliolæ, duabus animis suis; et Cicero matri optimæ, suavissimæ sorori S. D.

Si vos valetis, nos valemus. Vestrum jam consilium est, non solum meum, quid sit vobis faciendum. Si ille Romam modestè venturus est, rectè in praesentia domi esse potestis: sin homo amens diripendam urbem daturus est, vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit. Etiam illud metuo, ne jam intercludamini, ut cum velitis, exire non licet. Reliquum est, quod ipso optimè considerabitis, vestri similes feminæ sintne Romæ. Si enim non sunt, videndum est, ut honeste vos esse possitis. Quomodo cumque nunc se res habet, modò ut hæc nobis loca tenere licet, bellissimè vel mecum, vel in nostris prædiis esse poteritis. Etiam illud verendum est, ne brevi tempore famæ in urbe sit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, consideretis: ad summam, animo fortis sitis. Labienus rem meliorem fecit. Adjuvat etiam Piso, quod ab urbe discedit, et sceleris

condemnat generum suum. Vos, mee carissimæ animæ, quām s̄epissimè ad me scribите, et vos quid agatis, et quid istic agatur. Quintus pater, et filius, et Rufus vobis salutem dicunt. Valete. viii kal. Quintil. Minturnis. *Lib. 14, ep. 14.*

NOTAS.

Ille: César.

Intercludamini: se os corte el paso.

Vestri: de vuestra clase.

Labienus: este, que habia sido Lugar-Teniente de César en Francia, se pasó en la guerra civil al vando de Pompeyo.

CARTA VIII.**ARGUMENTO.**

Aconséjale que haga la declaracion de la hacienda ante el Censor, y le dice que piensa conservar la amistad de Antonio.

Tullius Tironi S. D.

Tu verdò confice professionem, si potes: etsi haec pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. Verumtamen Balbus ad me scripsit, tañta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit. Liceat modò rusticari. Ad Bithynicum scripsi. De Servilio tu videris, qui senectutem non contemnis. Etsi Atticus noster quia quondam me commoveri panicis intellexit, idem semper putat, nec videt, quibus præsidii philosophie

septus sim: et herculè, quòd timidus ipse est, tumultum excitat. Ego famen Antonii inventratam sine ulla offensione anicitiam retinere sānè volo: scribamque ad eum: sed non ante quām te video: nec tamen te avoco à syrapha: genu tibia proprius. Cras expecto Leptam: et enim ad cuius rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale. *Lib. 16, ep. 23.*

NOTAS.

Profesionem: declaracion de la hacienda ante el Censor: la que hacian los ciudadanos romanos de cinco en cinco años.

Epiphora: fluxion, destilacion.

Panicois, lat. panicis: terrores pánicos.

Thorboiei; lat. tumultum excitat: pone miedo.

A syrapha: del vale para la cobranza de la deuda.

Góny enémes: sup. enugon lat. genn tibia proprius: la rodilla está mas cerca que la canilla: esto es, primero eres tú, que nadie.

Rutam: ruda, yerba de mal olor: metafóricamente, conversacion desabrida.

Pulegium: poleo, yerba de buen olor: aquí metafóricamente significa conversacion suave.

LIBRO III.

De las cartas exhortatorias.

CARTA PRIMERA.

ARGUMENTO.

Dicéle á Curion que le falta asunto para escribirle, y concluye exhortándole á que aspire á la verdadera gloria.

M. T. C. Curioni S. D.

Epistolarum genera multa esse non ignoras: sed unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos seire aut nostra, aut ipsorum interesset. Hujus generis litteras à me profecto non expectas. Tuarum enim rerum domesticarum habes et scriptores, et nuntios; in meis autem rebus nihil es sanè novi. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quae me magnopere delectant; unum familiare, et jocosum: alterum severum, et grave. Utro me minus deceat uti, non intelligo. Jocerne tecum per litteras? Civem meherculè non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An gravius aliiquid scribam? Quid est, quod possit graviter à Cicero scribi ad Curionem, nisi de republica? Atque in hoc genere hæc mea causa est, ut ne-

que ea, que nunc sentio, velim scribere. Quamobrem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo, teque ad studium summae laudis cohortabor. Est enim tibi gravis adversaria constituta, et parata, incredibilis quedam expectatio. Quam tu una re facilimè vinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eae laudes comparantur, in iis esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confidere, & hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandiam obris mei. Vale. Lib. 2, ep. 4.

NOTAS.

Certissimum: *el mas sabido.*

Temporibus his: *en estos tiempos, en que està dividida en vando la república entre César y Pompeyo.*

Utar ea: *no haré otra cosa que concluir como suelo mis cartas.*

Quarum: *el órden es:* Elaborandum esse in iis artibus, quibus comparantur eae laudes, quarum laudum adamaris gloriam.

CARTA II.

ARGUMENTO.

Exhorta al sufrimiento á Fabio que había salido desterrado por sentencia, haciéndole presentar lo que había conseguido, los males que amenazaban á la República, y los bienes que le habían quedado.

M. T. C. T. Fabio. S. D.

Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolans ipse sum: proterea quòd nullam rem gravius jamdiu tuli, quam incommodum tuum: tamen te magnoperè non hortor solùm, sed etiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas, et, qua conditione omnes homines, et quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quam fortuna abstulit: propterea quòd adeptus es quod non multi homines novi: amisisti quæ plurimi homines nobilissimi. Ea denique videotur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quam levissima pæna ab hac republica discesserit. Tu verò, qui et fortunas, et liberos habeas, et nos, ceterosque necessitudine, et benevolentia tecum conjunctissimos; quique magnam facultatem sis habiturus nobiscum, et cum omnibus tuis vivendi; et cum unum sit judicium, ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una sententia, eaque dubia, potentiae aliquis condonatum existimetur; omnibus his de-

Libro tercero.

35

causis debes istam molestiam quam lenissimè ferre. Meus animus erit in te, liberosque tuos semper, quem tu esse vis, et qui esse debet. Vale. Lib. 5, ep. 18.

NOTAS.

Colligas: te animas.

Optimè: que parece que ha salido muy bien librado.

Quod reprehendatur: y siendo este entre tantos el único juicio de que se murmura, como que se está en la opinión de que en él se fue solo á dar gusto á cierto poderoso; pues solo saliste mal por un voto, y este obscuro.

CARTA III.

ARGUMENTO.

Aconseja á Toranio con varias razones que se mantenga en la Sicilia, donde está, y le consuela en su desgracia.

M. T. C. Toranio S. D.

Dederam triduò ante pueris Cn. Plancii literas ad te, èo nunc ero brevior, teque, ut antea consolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utilius, quam ibidem opperiri, quoad scire possis, quid tibi agendum sit. Nam præter navigationis longæ, et hyemalis, et minimè portuosa periculum, quod vitaveris: ne illud quidem non quantivis, subito, cum certi aliquid andieris, te istinc posse profici. Nihil est præterea, cur advenientibus te offerre gestias. Multa præterea metuo, quæ cum Chi-

D

lone nostro communicavi. Quid multa? loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti: ex quo te, quocumque opus erit, facilimè, et expeditissimè conferas. Quod si recipiet ille se, ad tempus aderis: sin (quum multa accidere possunt) aliqua res eum vel impedit, vel morabitur: tu ibi eris, ubi omnia scire possis. Hoc mihi prorsus valde placet. De reliquo, ut tessepè per litteras hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod tibi timendum sit, praeter communem casum civitatis: qui etsi est gravissimus; tamen ita viximus, et id ètatis jam sumus, ut omnia, quæ non nostra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. Hic tui onnes valent, summaque pietate te desiderant, et diligunt, et colunt. Tu et cura ut valeas, et te istinc ne temerè commovereas. Vale. Lib. 6, ep. 20.

NOTAS.

Gestias: tengas grandes ganas.

Advenientibus: á César y los suyos, cuando lleguen victoriosos de la guerra de España.

Ille: César.

CARTA IV.

ARGUMENTO.

Dicete á Curion, que se vaya á Roma, porque no se pierda el chiste y gragejo.

M. T. C. Curio S. D.

Facile perspexi ex tuis litteris (quod semper studui) et me à te plurimi fieri, et te

intelligere, quām mihi charus esses. Quod quāt uterque nostrum consequetus est, reliquum est, ut officiis certemus inter nos; quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar abs te. Acilio non fuisse necesse meas dari litteras, facile patior. Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis litteris non multū opus fuisse, propter tuas res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. Evidem vellem, uti pedes haberent, ut aliquando redires. Vide enim exaruisse jam veterem urbanitatē: ut Pomponius noster suo jure possit dicere: *Nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam.* Ergo is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur, queso, ne tantum semen urbanitatis unā cum republi-
ca intereat. Vale. Lib. 7, ep. 31.

NOTAS.

Contractas: embrolladas.

Nec: no tenian pies ni cabeza.

CARTA V.

ARGUMENTO.

Alábale por el socorro que dió á la Repùblica: exhórtale á que acabe en un todo con los enemigos de ella.

M. T. C. Plancio Imperatori Consuli designato
S. D.

O gratam famam biduò ante victoriā, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de co-
piis. Atqui, etiam hostibus fusis, spes omnis

in te est. Fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est autem non minus gratum extrema delere, quam prima depellere. Evidem expectabam jam tuas litteras, idque cum multis: sperabamque etiam Lepidum reipublicæ temporibus admonitum, tecum et reipublicæ satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatur. Quod si erit factum; et rempublicam divino beneficio affeceris, et ipse æternam gloriam consequere.

iii non. maj. Vale. *Lib. 10, ep. 14.*

NOTAS.

Atqui: *pues.*

Victoriam: en la batalla de Módena contra M. Antonio.

Latronum: da este título Ciceron á M. Antonio y á los que le seguian en la guerra.

Temporibus: de la prosperidad, con que la República va venciendo á sus enemigos.

CARTA VI.**ARGUMENTO.**

Exhorta á Cornificio á trabajar en favor de la República: dale noticia de una embajada enviada por el Senado á M. Antonio; y concluye recomendando á Pinario.

M. T. C. Cornificio S. D.

Ego nullum locum prætermitto (nec enim debo) non modo laudandi tui, sed ne or-

Libro tercero.

39

nandi quidem. Sed mea studia erga te, et officia malo tibi ex tuorum litteris, quam ex meis, esse nota. Te tamen horror, ut omni cura in rempublicam incumbas. Hoc est animi, hoc est ingenii tui, hoc ejus spei, quam habere debes amplificandæ dignitatis tue. Sed hac de re aliâs ad te pluribus. Cum enim haec scriebam, in expectatione erant omnia: nondum legati redierant, quos Senatus nou ad pacem deprecandam, sed ad bellum denuntiandum miserat, nisi legatorum nuntio parisset. Ego tamen, ut primum occasio data est, meo pristino more rempublicam defendi: me principem Senatui, populoque romano professus sum: nec postequam suscepit causam libertatis, minimum tempus amisit uendae salutis, libertatisque communis. Sed haec quoque te ex aliis malo. T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut majore non possim. Cui cum propter omnes virtutes, tunc etiam propter studia communia sum amicissimus. Is procurat rationes, negotiaque Dionysii nostri, quem et tu multum amas, et ego omnium plurimùm. Ea tibi ego non debo commendare: sed commendando tamen. Facies igitur, ut ex Pinarii, gratissimi hominis, litteris tunc et erga illum, et erga Dionysium studium perspiciamus. Vale.

Lib. 12; ep. 24.

NOTAS.

Hoc: esto corresponde á tu ánimo, ingenio, &c.

Pluribus: sup. verbis scribam.

Denuntiandum: declarar, intimar.

Malo: sup. scire.

GARTA. VII.

ARGUMENTO.

Encárgale, que emplee su ingenio en ponerse bueno y sano.

Tullius Tironi S. D.

Ægypta ad me venit pridie id. aprilis. Is etsi mihi nuntiavit, te planè febri carere, et bellè habere; tamen, quod negavit, te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit: et eò magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum sollicitudine de tua valetudine, qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura scriberem si jam putarem, libenter te legere posse. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibique conservandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale.

Scripta jam epistola, Hermia venit. Accepi tuam epistolam vacillantibus litterulis, nec murum, tam gravi morbo. Ego ad te Ægyptam misi (quod nec inhumanus est, et te visus est mihi diligere) ut is tecum esset: et cum eo coquum, quo uterere. Iterum. Vale. Lib. 16, ep. 13.

NOTAS.

Ægypta: un esclavo llamado ast.

Belle: te sentias grandemente.

LIBRO IV.

De las cartas petitorias.

CARTA PRIMERA.

ARGUMENTO.

Ciceron había de suceder á Apio en el gobierno de la Cilicia, y le pide en esta carta se la dejé en el mejor estado posible para tener menos que hacer en él.

M. T. C. Proconsul Appio Pulchro Imperatori S. D.

Cum et contra voluntatem meam, et præter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in provinciam profici sciesset, in multis, et variis molestiis, cogitationibusque meis, haec una consolatio occurrebat, quod neque tibi amicior, quam ego sum, quisquam posset succedere: neque ego ab ullo provinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maximè aptam, explicataisque tradere. Quod si tu quoque eamdem de mea voluntate erga te spem habes, ea te profecto numquam fallebit. A te maximo opere pro nostra summa coniunctione, tuncque singulari humanitate etiam atque etiam queso, et peto, ut quibuscumque rebus poteris (poteris autem plurimis) prospicias, et consulas